



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 289. An infideles, qui in secundo vel tertio ulterioreve gradu lineæ collateralis, si convertuntur ad fidem, debeant separari qiò ad thorum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

CAPUT II.

De dissolutione matrimonii quò ad thorum  
& cohabitationem.

*Quaest. 288. Quid hac in parte dicendum de libello repudii concessio Judæis, & num licita eis separatio talis, superinductâ aliâ uxore.*

**R** Esp. primò: Libellus repudii sic dictus à parvo libro, quia fiebat hæc repudiatio in scripto hac vel simili forma: Conditione tua non utor: vel res tuas tibi habeto. Petyra in elucidar. L. 3. n. 1713. erat dimissio prioris uxoris, non tantum quò ad thorum, sed etiam quò ad solutionem vinculi matrimonii; quia fiebat, ut repudiata primâ, aliam uxorem superinducere posset, si vellet, maritus. Permissus erat Judæis in lege veteri hic libellus, seu hæc dimissio uxoris, etiam post consummatum matrimonium, Deuteron. 24. & Malach. 2. ob duritiam cordis eorum, ut inquit Christus. *Matth. 19.* adeoque jam Deo dispensante verè dissolvatur prius matrimonium, & validè contrahatur novum, Nequaquam tamen id permissum gentibus, ita ut hæc nec liberè nec validè dare possent repudium tale uxoribus tuis.

2. Resp. secundò: Non tamen in lege Mosaica fuisse licitum tale repudium, sed tantum permissum tanquam minus malum ad vitanda majora, tenent aliqui. Probabilius tamen censent alii, ut Azor. p. 1. L. 6. c. 1. q. 8. Pirh. b. t. n. 49. cum communiore, id licitum fuisse, si enim id licitum non fuisset Judæis, siue si sine peccato id fieri non potuisset, vix credibile est, non aliquando saltem in Scriptura, vel à Prophetis iste usus repudii fuisset correptus.

3. Resp. tertio: Modò post legem Evangelicam certum est, nec Judæis, nec infidelibus aliis permissum amplius tale repudium, ita ut neque fiat licitè, neque validè, hoc est, matrimonium per illud non dissolvatur; quia Christus *Matth. 19.* reprobat illud, & ad statum legis naturalis, in quo matrimonium erat absolutè indissolubile, reduxit, & hanc dispensationem in hac lege naturæ Judæis concessam revocavit. Sanch. de matr. l. 10. d. 1. n. 7. & 8. unde, ut dictum supra, infideles ad fidem conversi uxores tempore infidelitatis repudiatas tenentur recipere, repudiatis illis, quis fortè superinduxerunt, uxoribus, excepto casu, quo per conversionem alterius conjugis solvitur prius matrimonium tempore infidelitatis contractum, prout deciditur c. *gaudemus. b. t.* Sed neque his obstat dictum Christi: *Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, & alteram duxerit, moechatur,* nam juxta dicta superius his verbis dissolutionem cohabitationis induxit, nisi antecesserit fornicatio, nulla facta mentione de dissolutione vinculi matrimonialis, uti illum textum explicant D. August. L. 1. de adult. conjug. c. 9. Abul. in c. 19. *Matth. 9. 76.* Maldon, & Janfen. *ibid.* & in illis Sanch. d. 2. n. 3. ubi quoque textus innuentes contrarium explicat. Ad hæc, ut Cajet. apud Castrop. d. 3. p. 6. nu. 1. Christus solùm dixit, moecharium, qui uxorem dimittit extra causam fornicationis; de dimittente

verò eam intercedente fornicatione, nihil dicit; tamen si Pharisei interrogantes Christum, quaestionem faciebant de dimissione quò ad vinculum. Et hæc ex constante sensu Ecclesiæ juxta mentem Apost. 1. ad Cor. 7. ubi: *Præcipio non ego, sed Dominus, uxorem à viro non discedere, nisi causâ fornicationis, & si discesserit, aut innupta maneat, aut viro reconcilietur.* Quare c. *si qua mulier. 31. q. 1.* Ubi ex illo Apostoli textu inferretur, quòd, quia ibi non idem dicitur de viro, quòd de uxore, huic licere intercedente fornicatione uxoris discedere, & ducere aliam, meritò, utpote desumptum ex concilio apud Vermerias apocrypho. Maldon. in c. 19. *Matth.* ostendit non curandum. Uti & c. *uxor. 32. q. 1.* ubi quòd vir uxorem probatam ream de machinata sibi morte possit dimittere & aliam ducere ab Hæreticis falsò affingi Sancto Ambrosio, ostendit Abul. in c. 19. *Matth. 9. 76. ad 1.* Sed & concessio, dictos textus verè desumptos ex S. Ambrosio, aliisque Patribus loqui de legibus tempore sui sæculi usitatissimis, quæ aliter de viris, aliter de feminis hac in parte disponebant, ostendit Ponc. L. 7. c. 52. à n. 2.

*Quaest. 289. An infideles, qui in secundo vel tertio ulteriore gradu lineæ collateralis, si convertuntur ad fidem, debeant separari quò ad thorum.*

**R** Esp. Cùm tales contraxerint validè, quippe qui non obligabantur constitutionibus canonicis, vi quarum tantum annullatur matrimonium contractum in dictis gradibus; adeoque etiam post conversionem illorum ad fidem hoc eorum matrimonium subsistat indissolubiter quò ad vinculum, non sunt separandi etiam quò ad cohabitationem, dum ambo sunt conversi. Dum verò unus eorum conversus, & alter renuit converti, vult tamen fidei cohabitare sine contumelia creatoris & periculo perversionis, ad summum ex præcepto ecclesiastico quò ad thorum separandi videntur, non quia contraxerunt in gradu prohibito, sed quia ex cohabitatione regulariter præsumitur periculum perversionis, juxta dicta supra. Quòd si autem contraxissent in gradibus consanguinitatis jure divino ac naturali prohibitis, quales sunt gradus primus lineæ rectæ, & gradus primus lineæ collateralis, in qua sunt frater & soror, cùm tale matrimonium etiam gentilium & Judæorum fuerit semper nullum, conversi ad fidem omnino sunt separandi. Azor. p. 2. L. 5. c. 13. q. 2. Sanch. L. 7. d. 52. n. 12. Barb. inc. *gaudemus. b. t. n. 2.* Pirh. n. 40.

*Quaest. 290. An & qualiter periculum animæ sit causa sufficiens divortii seu separationis quò ad cohabitationem.*

**R** Esp. primò: Quotiescunque grave periculum animæ seu salutis imminet alteri conjugum ex cohabitatione, ut dum unus nititur alterum pertra-